De Palpitatione cordis. CAP. *XI.*

ΠΑΛΜΟ῞Σ καρδίας Græcis, Palpitatio cordis Latinis, à ſymptomate & parte affecta nomen ſumpſit. Tremor perperam à quibuſdam ea palpitatio dicta eſt: vt etiam falsò καρδιακὴ, καρδιαλγία, καρδιωγμὸς, cùm ſint hi affectus ventriculi potiùs, quàm cordis, de quibus ſuo loco. Apud Galenum tamen καρδιωγμὸς quandoque ſignificat cordis ipſius motionem palpitationi ſimilem, quæ ab inflammatione & feruore cordis eſt. Priuſquam verò à nobis παλμὸς καρδίας definiatur, ſciendum quid vox hęc παλμὸς: ſeu palpitatio ſignificet ἀπλῶς, quoque pacto huic viſceri conueniat, nec non quomodo à Tremore differat. παλμὸς itaque ſeu palpitatio, eſt partium eleuatio quædam præter naturam atque depreſſio, partium (inquam) naturaliter mollium: ita vt dilatationem ſui tolerare, tum rurſus in ſe ſidere poſſint. Cuiuſmodi ſunt cutis & ſubiecti muſculi: ſed præſertim ventriculus, veſica, inteſtina, iecur, lien, ſeptũ tranſuerſum: adhæc cor, arteriæ ipſæ, in quibus palpitationis longè diuerſus à pulſu motus manifeſtè apparet: cùm palpitatio ſolius morbi opus ſit, ſeu affectio, pulſus verò actio naturalis. Et alius eſt affectus in quo pulſus cordis redditur tantum celerior vel tardior moderato: alius per quẽ viſcus tremulè concutitur. Imò nec eſt voluntariæ virtutis propria palpitatio, vel inſtrumentorum ad hanc ſpectãtium, ſed indifferenter cunctarum partium, quæ diſtendi dilatariq; poſſunt: idq; præter naturam, vtrium nec nõ follium fabrorum ritu. Impletæ namq; partes dilatantur: & cùm dilatantur, ſeſe implent. Adeſt aërea ſubſtantia & halituoſa, quæ ſi corpus cauitatem habet, hanc implet: ſi nõ, inter duo corpora cõgeſta ſibi ventrem acquiſititium molitur, & vnum ab altero diſtans redditur. Quare palpitationes accidunt perfrigerata particula, ita vt quod ſub naturali ſtatu ab ea attenuatum eſt, id nunc vbi propter frigus reddita eſt imbecilla, & halituoſius, & craſſarũ partiũ efficitur, vt neq; facilè ſicut priùs perſpiret, atq; interim anguſtia quoq; viarũ accedente, & propria craſſitie tranſitu caret. Addendum verò & de Tremore nonnihil. Tremor inuoluntarius motus eſt ſurſum ac deorſum motarũ partium

Palpitatio quid.

Palpitationis à pulſu diſcrimen.

Tremor.

tium ab inuicem. neq; idem est sursum ferri, quod eleuari; neq; deorsum ferri, quod deprimi: quia quæ sursum feruntur aut deorsum, cum alio priorem locum mutant. Eleuata autem & depressa antiquam sedem seruant, & ambientis nunc aliquid assumunt, nunc deperdunt. Inuoluntariè ergo moueri præterquam quòd vtriq; commune est, palpitationis est maiorem ac minorem locum occupare, non relicto primo. Tremor autem adeò loca commutat, vt ne in eadem sede maneat. Præterea tremor motus est mixtus ex causa præter naturam, & animali virtute. Etenim nemo tremit, qui non decreuerit mouere membra. Sed hîc fit pugna virtutis, & ponderis. Et quanquam huiusmodi symptomatis generatio cum conatu sit mouendi, est tamen cum virtutis imbecillitate: ita inuicem vincente victaque potentia mutuò succedẽtibus motibus, Tremor efficitur. Tremor ergo mouentis est virtutis affectus, non instrumentorum. Sed in palpitatione facultas nõ læditur, verùm instrumenta, seu partes ipsæ quæcunq; præter naturam dilatari possunt; & propterea partibus alioquin immotis accidit. Sed quorsum hæc? vt intelligatur motum cordis de quo hic agimus, palpitationem verè ac propriè dici posse, & errasse eos qui palpitationẽ cum tremore confuderunt. Vt igitur eò vnde digressi sumus, redeamus, Cordis palpitatio dicetur à nobis eleuatio quædam atq; depressio præter naturam eius partis. Id verò de palpitatione propria fit dictum, cùm dilatatur cor & inflatur, præter naturã à substantia halituosa & copiosa quæ perspirare non possit: subsidit autem, vbi foras extrusa fuerit. Quidam verò Cordis palpitationem ita dictam censent, quòd habeat similitudinem cum palpitatione propriè dicta: estque illis motus inordinatus, velox, creber, & veluti quidam saltus: symptoma motus pulsatiui, dum natura ad eius quod grauat expulsionem excitatur, vel dum eadem maiori motu impeditos pulsus resarcit. Alijs dicitur palpitatio Cordis, immoderata quædam eius concussio, vehementi diastole ac systole molesta. Sunt & qui volunt, vt omnibus partibus vis quædam natura insita sit, qua quod offendit, quoad fieri potest, à se propellant: licet diuersa ratione: (Nam in Epilepsia, sternutatione, vomitu, contractione id ef-

Varia sententia de palpitatione.

ficitur: in tussi, efflatione) sic in Cordis palpitatione fieri existimant, & cor putant concuti, ac veluti quodam motu tremulo affici ob causam noxiam, tanquam ingressum repentè hostem reformidans: aut superaturum, aut præ imbecillitate languescentem sibi cessurũ. Propterea Palmon veteres quidam formidinem appellarunt. Id autem fieri aiunt, cùm vaporem aliunde irruentem, vel in se genitum præ imbecillitate dissoluere, aut arcere nequeat, modò dilatatur, modò contrahitur in sese: quia stimulatur, & palpitatione nititur excutere quod nocet, donec liberum habeat motum, vel omnino deficiat: vnde sæpe Syncope & mors repentina consequitur, præsertim si causam in se præsentem semper habeat. Quæ sententiæ etsi variæ sint, omnes tamen aliqua probabilitate fulciuntur. Quid igitur sit Cordis palpitatio, abundè explicatum est. Constat & quòd sit symptoma in genere deprauati motus toto genere præter naturam. Cuius causa est vt aliarum palpitationum (si proprièe Cordis palpitatio accipiatur: nempe crassus, nebulosus, flatuosusue spiritus, quem accumularunt frigidiores temperaturæ, ætates, regiones, anni tempora, ociosa vita, temulentiæ, cibi frigidi & flatuosi.) Atque hæc affectio cordi euenit cum suspicione, quòd cor in humore moueatur: qui contentus in pericardio tunica, impediat quò minùs attollatur. Oriri etiam potest ex aliquo tumore præter naturam in eadẽ ambiente cor tunica duro, aut humorem in se continente, qualem pustulæ quas hydatidas vocant, emittere solent. Neq; ab intemperie calida iuxta Galeni doctrinam oriri potest, si palpitatio vera dicenda est. Nam reuera multo frequentiùs fit à flatibus in pericardio contẽtis. Argumento est, quòd omnes ferè melancholici hoc symptomate afficiuntur: & qui cachexia laborant, vt puellæ, & qui aquam inter cutem incidunt Recentiores verò vt hunc motum cordis, aliud genus motus esse posse statuunt, ita huius motus causam afferunt, quicquid vitalẽ facultatẽ quantitate, vel substãtia, vel vtraq; grauat. Palpitat cor, cùm eius vẽtriculis sanguinis vel corrupti, vel etiam laudabilis maior copia continetur, vel in ijsdem, aut eorum ventriculorum valuulis, substantia aliqua omnino aliena hæret. Sic enim & propter magnæ arteriæ iuxta cor dilatationem,

Palpitatio Cordis quis affectus præter naturã. Causa.

dilatationem,& propter gypseam & lapideam quandam substantiam in ventriculis cordis hærentem, & propter aquæ magnã copiam in thorace & pericardio contentam, cordis palpitationes fieri visæ sunt, dissectis post repentinã mortem cadaueribus. Alij Cordis palpitationem fieri aiũt ab intemperie calida,& sanguinis feruore (qui sæpe conspicitur in sanis tum adolescentibus, tum adultis : cuius singulare remedium est sanguinis missio, cum victu & medicamentis extenuantibus) à vermibus cor vellicantibus, subita vacuatione, imprægnatione, inflammatione,abscessu,aqua tunica inclusa & humore putri ac malè olente plena,lapillis,venenosa qualitate,spirituoso halitu,siue ab externis,siue ab internis, siue in ventriculis cordis,siue in substantia,siue in pericardio,siue in arterijs causa subsistat,siue accidat extrinsecus,siue ab alijs partibus,vt vtero,hepate,liene,ventriculo. Neq; enim palpitatio semper causam habet in corde,sed pars aliqua affecta est, cum qua mutuum habet consensum. Sic Galenus à balneo & vitiosis lignis succensis mulierem solitam animo deficere scribit: alteram ab vteri affectu idem pati. Suprà dicta pluribus historijs cõfirmarunt iuniores. Huius causam aiunt & quidam referri in retorridam bilem, quæ aliâs sponte vacuari consueuerat, in arterias cordi vicinas effusam. Et eadem de causa in hunc affectum propensi sunt, qui Melancholia hypochondriaca laborant. Alij consentaneè his quæ dicta sunt, palpitationis Cordis causas externas statuunt aërem pestilentem, morsum ferarum, haustum veneni,esum fungorum,spem,& timorem. Internas verò vocauerunt proprium cordis affectum,nempe intemperiem quamuis simplicem,aut compositam cum materia,ex qua cor infirmum & imbecillum redditur: quibus aliæ causæ commemoratæ accensendę sunt. Iam vt ad signa indicantia veniatur, Cordis palpitatio dignoscitur ex ægri relatu, qui cor ipsum præter pulsum palpitare sentit. Manu etiam adhibita supra thoracem loco quo cor sentitur, à quouis pulsationis motus percipitur. Is motus cordis visus est aliquando sic vehemens, vt costas de sua sede depelleret, & aneurysma propè iugulum pugni magnitudine excitaret. Nam totius corporis arteriæ potissimum quæ iuxta iugu- Signa

lum ſunt, valide pulſant. In aliquibus tantus eſt tremor cordis, vt etiam panni qui pectus ab iniurijs externis muniunt, videantur ab aſtantibus ad motum cordis eleuari atque deprimi: ſubinde quoque ſonitum audire ſolent aſtantes ſatis manifeſtum. Spiratio rara eſt & exigua: & ſeruat omnes inæqualitatis differentias. Cor enim ſi laborat inæquali intemperie, pulſus vniuerſos variè inæquales efficit. Macies præcedit, vel conſociatur. Si à flatuolo eſt ſpiritu (vt ferè fit) & frigida intemperie, aut ſi à calida, cognoſces ex cordis temperamento, totiúſque corporis, antecedente victus ratione, aliiſque ſignis coniectura artificioſa eliciendis. Particulatim ſi à flatu eſt, repentina eſt acceſſio, aſthma, motus tremulus in genis, aut alia parte, dolor ſubitò accedens & deſinens, obtenebratio in oculis, ſibilus aurium. Si eſt à cauſa calida, vel fumis & vaporibus ad cor per arterias delatis, & per conſenſum aliarum partium, affectus earundem partium tibi indicabunt. In calida etiam febris adeſt. In frigida, febre vacant. Cordis intemperaturæ cæteris partibus communicantur, earumque comes eſt imbecillitas. Rurſum agnoſcitur calida intemperies palpitationem efficiens ex pulſus magnitudine, celeritate, & crebritate, ex calore thoracis, ex frequenti & magna reſpiratione, & quod aërem exufflando mittunt, & aëre frigido gaudent. In frigida pulſus rarus fit, paruus, ac tardus, ſic etiam reſpiratio: calido aëre gaudent, & ſiti carent. Si præter hæc grauitas acceſſerit, copia ſignificatur humorum, ad quam ſignificandā accedit pulſus inæqualitas. Inde corde patiente oritur illa inæqualis & intempeſtiua cordis dilatatio ac palpitatio, quæ velut ipſius ſaltus eſt. Huncq; fieri cōtingit vulgò ob humorē in pericardio contentū, cùm modū exceſſerit. Nam paucus ſecundū naturam ibi cōtinetur: & in hoc morbo apparet ac ſi cor in humore moueretur. De hac re alij in hanc ſententiam: Aquæ magna copia ſæpe in pericardio cumulatur, quę cor ipſum ne moueatur impediens, palpitationem mouet, ſiue à ſeroſis humoribus aqua illa colligatur, ſiue à calore colliquante, & in aquam vertente quod pingue eſt. Non negligenda eſt palpitationis Cordis curatio circa initia. Nam ſi augeatur, aut diutiùs perdurauerit, ad Syncopen permutatur,

Prognoſtica.

mutatur, & demum ad mortem, eamque repentinam, ob consequentem virtutis vitalis imbecillitatem. Palpitatio licet tum adolescentibus, tum adultis euenire possit, magna ex parte tamen ijs accidit, qui ætatem agunt quinquaginta annis inferiorem, sed quæ quadraginta annos excedat: & quanuis sanguinis missione, & victu extenuante curati sint non nulli, nihilominus omnes ante senectutem morte præuenti sunt, & alij per acutas febres, alij cùm sani degerent, affatim Syncope correpti interierunt. Hic affectus frequenter ac præcipuè per quietem corporis intermittit; ac superfluis laboribus, meraciori vino, balneis, atque ira recrudescit. Horrenda est palpitatio si crebrò incidit, idq; post solutos morbos cum multa nausea & bilis vomitu, qui vomitus neque nauseam, neq; palpitationem finit. Hoc vitium ijs familiare est quos Melancholia flatuosa fatigat, vt iam dictum est, & quibus atra bile ipse lien tumet. Syncopen palpitatio Cordis & antecedere, & in eam verti solet. In curatione palpitationis, si est à causa frigida, tanquam frequentiori, aer (cuius præcipuè habenda est ratio, vt qui inspiratu mox penetret, citoque vel iuuet, vel noceat) eligatur ad caliditatem & siccitatem declinãs, qualis est alteratus rore marino, maiorana, origano, ambra, moscho, & similiter calidis odoramentis. Debet enim aer suauiter olere: quia omnia odorata cordi sunt familiaria, vt fœtida aduersa & inimica. Quemadmodum si est à causa calida, aer alterandus est frigidis odoribus, oxycrato, rosis, aqua rosarum, caphura, & huiusmodi, somnus sit moderatus. Vitentur vigiliæ immoderatæ. Motu & exercitio vtantur temperato: nec non frictionibus. Aluus seruetur lenis natura, aut arte suppleatur. Immodicas animi perturbationes, iram, mœstitiam, metumque ac lætitiam deuitent: vt in vniuersum quicquid spiritum vitalem resoluit, ac conturbat. Victus ratio reliqua in causa frigida instituatur attenuans. Propterea deligantur cibi modicæ humiditatis ac flatus expertes, sintq; boni nutrimenti, & facilis coctionis. Quapropter edant carnes pullorum gallinaceorum, gallinarum, phasianorum, perdicum, merularum, turdorum, aliarumque paruarum auium montanarum, & interdum vitulorum, hœdorum, leporum, capreo-

Victus ratio.

lorum. Eis vtantur assis, interdum elixis, hyssopo, serpillo, satureia, melissophyllo, sampsucho, pulegio, borragine, pimpinella adiectis, & in prædictarum carnium iure piper, cinnamomum, macer, aut caryophylli in puluerē redacti inijciantur. In calida verò cibi refrigerentur hordeo, lactuca, borragine, oxalide, omphacio, aceto, succo aráciorum, citrorum & limonum. In frigida causa potus sit vinū dulce, substantia tenui, colore flauum seu fuluum, mediæ ætatis, dilutum aqua in qua borrago, melissophyllum, pimpinella decocta fuerint. Atq; in eadem causa meracius bibatur. In calida intemperie vinum sit aquosum, tenue, dilutum aqua hordei: aut bibat decoctum coriandri præparati, cum iulep violato, aut rosaro. Decoctum etiam radicis buglossi conuenit. Vitetur vinum præsertim generosum & vaporosum, cuiusmodi vinum non tolerāt, qui cor languidum habēt, ob subitum quem scilicet facit occursum. Præscripto viuendi modo, quoniam omnes iuuat missio sanguinis ex Galeni decreto, incidatur vena interna cubiti dextri, si plenitudo adsit, aut sinistri ea non existente. (Sanguis siue quantitate, siue qualitate, siue vtraq; cor grauarit, commodissimè venæ sectione tollitur.) Aut si est à vapore spirituoso largiore in ventriculo cordis sinistro, idq; ad reuellendum magis, quàm curandū. Cor enim cùm sit princeps viscus, tametsi intemperatū ad frigidum, saltē reuulsionis gratia hic venæ sectio confert: quia prohibet ne excrementa ad ipsum confluant, tum quòd imbecillum sit, tum etiam ne propter hunc palpitationis motum excrementa trahat. Itē si aqua concepta in panniculo, si inflammatio adest, aperienda est basilica dextra. Sic Auicēnas & Arabes dexram tundunt, si sanguis est in causa: si vapor, sinistram aperiunt. Sinistra quoque aperiri potest, si materia non in ventriculis cordis, sed in corpore ipsius continetur. Sanguis autē pro ratione redundantiæ vacuādus est, summè cauētibus animi deliquiū, manu interim pulsui admota. Et missio sanguinis potiùs repetēda est quàm cōfertim faciendā: quia quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto reuulsionē efficies efficaciorē. At si malum ab inferioribus inuehatur, aut insignis est plenitudo, venæ crurum secari debent. Vt autem victus attenuans

Sanguinis missio.

nuans confert, quia multus ſanguis in bene valentibus & craſſus eſt, vel ſua copia obſtructionem facit coarctatoriã: ita etiam imperamus medicamenta quæ extenuant, diſſipant, diſcutiunt palpitationis cauſam, hoc eſt ſpiritum flatuoſum, eumq; adimunt, intemperaturã cordis frigidam corrigunt, ſimulq; ipſum roborant: præterquam quod veriſimile eſt humorem aquoſum in pericardio contentum palpitationis cauſam eſſe. Itaq; in frigidiori intemperiè à iunioribus vſurpantur electarium diambræ, diamoſchi, de gemmis, confectio de cinnamomo, de xiloaloë, & Conciliatoris, de hyacintho, diacalamentum, dianiſum, aromaticum roſatum, theriaca, mithridatium, daturq; pro qualibet vice ʒj. cum vncijs duabus vini boni, & vncijs tribus aquæ meliſſophylli, borraginis, florum citrangulorum. In cauſa calida conuenit diamargariton frigidum, diarhodon abbatis, ſaccharum roſatum, vel violaceũ, electarium trium ſantalorum, trochiſci de caphura. Compoſita ſunt cõdita mollia in cauſa frigida: quale eſt quod Recipit corticis citri conditi ℥ ij. conſeruæ radicis citrij, ℥ j ß. pulueris diambræ, pulueris diamoſchi dulcis, pulueris lætitiæ Galeni ana ʒj ß. compoſitionis de hyacintho ʒ ij. ſeminis citri ʒj. corall. rubr. ℈ iiij. myrobalanum embliticam vnã conditam: cum ſyrupo conſeruationis corticis citri, fiat electarium molle. Aut ſi quis electario molli delectetur: ℞. diamoſchi dulcis, pulueris diambræ, pulueris de gemmis ana ʒj ß. corticis citri conditi ʒ iij. cum ſaccharo in ſtillatitijs liquoribus meliſſophylli, & bugloſſæ diſſoluto, fiat electarium. Sumatur Teſſella vna manè & altera veſperi, duabus aut tribus horis ante paſtũ, & ſuperbibat parũ vini meri. Extetius vero imponũtur epithemata: cuiuſmodi eſt, ℞ aquarũ meliſſę, florũ citrãgulorũ, borraginis ℥ iiij. macetis, caryophyll. ana ʒj. cinnamomi, ligni aloës, corticis citri, ſeminis ozymi ana ʒ iij. ambræ, moſchi ana gr. v. Vel ℞. liquorũ ſtillatitiorũ bugloſſi & meliſſophylli ana ℔ ß. vini aromatici, aut aruiſij ℥ ij. pulueris electarij de gemmis, caryophyllorũ ana ʒj pulueris diambrę ℈ iiij. ſeminis citri, ben albi & rubri ana ℈ ij croci ℈ j. miſceantur. fiatq; cordi epithema calidè manè & veſperi ante paſtum. Fiunt quoq; vnguenta. vt ℞. olei nardini, coſtini, amygda-

Electarium molle, ſeu conditum.

Electarium ſolidum ſeu Tabella.

Epithema.

Vnguentũ.

Sacculus. lini, & rosacei ana ʒ ij. pulueris galliæ moschatæ, caryophyllorum, ligni aloës ana ℈ j. cæræ parum. Sacculorum quoque vsus est. ♃. florum borraginis, rorismarini, citrangulorũ, sampsuchi ana ʒ ij. cinnamomi, caryophyllorum, seminis ozymi ana ℈ ij. rosarum rubrarum ʒ ij. os de corde cerui numero vnum. Adde si vis moschi, vel ambræ gr. aliquot: fiantque sacculi ex panno conchyliato consuti & calfacti medio thoraci applicandi. Item fiunt cataplasmata ex conseruis buglossæ, borraginis, rosarum, violarum, adiunctis pulueribus. In causa calida electariũ molle fit sic: ♃. conseruæ violarũ, conseruæ rosarũ, cõseruę radicis cirsij ana ℥ j. pulueris diarhodon abbatis, triũ santalorũ, pulueris diamargariti ana ʒ ij. coralli rubri ʒ j ß. margaritarũ, fragmentorũ pretiosorũ communiũ ana ℈ ij. compositionis diamoschi dulcis ʒ ß. excipiãtur syrupo de acetositate citri. Vel fit electariũ solidũ. ♃. pulueris diamargariton frigidi, pulueris trium santalorum, pulueris diarhodon abb. ana ʒ j ß. trochiscorum de caphura ℈ ij. pulueris diambræ ʒ ß. conseruæ rosarum, conseruæ radicis cirsij ana ʒ iij. cum saccharo in stillatitio liquore rosarum dissoluto fiat electarium. Epithema verò sic fit: ♃. stillatitiorũ liquorum rosarum, oxalidis, buglossæ ana ℥ iij. vtriusque coralli, omnium santalorum ana ʒ j ß. camphoræ grana ij. pulueris diamargariton ʒ j. croci ℈ j. aceti parũ. fiat epithema cordi manè & vesperi ante pastum tepidè applicandum. Fit quoque sic vnguentum: ♃. olei rosati violati, nymphęæ ana ʒ ij. coralli, santalorum purpureorum, rosarum ana ℈ j. caphuræ gr. ij. cæræ albæ q. s. Aut fit sacculus: ♃. rosarum rubrarum siccarum, florum buglossi & cirsij sicci, omnium santalorum, coralli rubri, ana ℥ ß. fiat puluis, qui in sacculo insuatur. Vel sacculus paratur ex floribus violarum, rosarum, santalorum, corallorum. Dantur opiatæ, & condita siccioribus naturis. Humidioribus verò trochisci, & arida. Propinantur & cardiacę potiones ex aquis cardiacis, in quibus aliquid mithridatij aut theriaces dissoluitur, cum conserua cardiaca. Vel adduntur pulueres vnicornu, ambræ griseæ, margaritarum, cæterorumq; lapidum pretiosorum, eboris, cornu ceruini. Pulueres ipsi etiam per se sumuntur ex opiatis cum distillato restauratiuo, vel cum aquis

Electarium molle.

Electarium solidum.

Epithema.

Vnguentũ.

Sacculus.

aquis cardiacis ex cochleari. Extrinſecus etiam admouentur cataplaſmata, quæ mithridatium recipiunt, vel theriacam, & conſeruas. Sed ſi cum frigida intemperie præſens ſit materia frigida ſeu pituitoſa, ea apparetur melle roſato, oxymelite ſimplici, vel ſcillitico, ſyrupo de hyſſopo, de corticibus citri, de duabus radicibus, cum decocto betonicę, ſampſuchi, pulegij, origani, meliſſophylli: deinde purgetur is ſuccus diaphœnico, electario indo, myrobalanis cepulis, agarico. Materia verò melancholica paretur ſyrupo de epithymo, de thymo, de pomis, de fumaria, de ſcolopendria. Purgeturque confectione hamech, pilulis de lapide lazuli, de lapide cyaneo, pilulis indis: & dum propinantur medicamenta, addantur quæ corroborant. Materia verò calida & bilioſa coquatur ſyrupo de ſucco acetoſæ, ſyrupo endiuiæ, ſyrupo acetato, ſyr. acetoſit. citri, ſyr. de ribes. Purgetur autem rhabarbaro, myrobalanis citreis, manna, caſſia, ſyrup. roſ. ſolut. Sunt qui addunt ſcammonium, quo vti non oportet, niſi in ſumma neceſſitate, ne cordi noxa inferatur. quare & cordialia addēda ſunt. Clyſterum vſus præfertur in paroxyſmo. Celerius enim vapores euocant. Quo tempore valēt etiam quæ ſequuntur. Frictio è linteis, quæ receperint odorē pulueris violacei: fortis inſpiratio, vt gementium, contentis in ore cordialibus antidotis, quo magis penetret qualitas: illitus arteriarum, vbi magis pulſant: & affrictio per medicamenta cordialia: vaporatio. Vitētur vincula extra acceſſionem, aſtrictio à veſtibus in ventre, thorace, iugulo, alis, inguinibus, & vbicunq; inſignia vaſa, præſertim arteriæ. Si in febrem acutam incidant, corripiuntur Syncope, vel alio genere morbi. Atq; in vacuationib. & balneis imperandis maxima cautio eſſe debet: ob idq; interrogādus æger, nunquid per ſanitatem ſoleat exolui aut palpitare cor. Sæpe enim dum ſanguis mittitur, vel purgantur, vel alia fiunt ex ratione morbi, Syncope intercepti moriuntur. Quæ obiter à nobis dicta ſunt. Vt verò vnde digreſſi ſumus, eò reuertamur, poſt purgationem detur theriaca. Multùm valet & confectio de hyacintho, alkermes, ex quibus ſimul cum conſeruis fiunt opiatæ, vt iam oſtendimus. Si à ſeroſis humoribus auctis fiat palpitatio, danda eſt opera, vt vacuen-

Scammonium.

Agenda in paroxyſmo.

tur vsu seri caprini, vel succo brassicæ marinæ, folliculis senæ, carthamo. Qui enim in pericardio continentur, si nihil amplius resudabit è venis, calore cordis resoluentur. qui in venis continentur, vacuandi sunt, ne resudẽt in cor. Postea danda quæ corpus desiccant, & serosum illum humorem exhauriunt, vt decoctum chynæ, zarzæ parillæ, Guaiaci, vbi ægri naturæ non repugnent. Vt vbi corpora calidiora euaserunt, Guaiaci vsus minimè cõuenit. Et quia à flatibus frequens est hæc affectio, prima ventriculi concoctio perfecta procurari debet: vt flatus qui in ventriculo & intestinis sunt, discutiantur.

De Syncope. CAP. XII.

Syncope quid. Eclysis, Leipothymia, Leipopsychia.

ΣΥΓΚΟΠΗ Græcis appellata, Latinis animi concissionem significare potest: quòd spiritus & vires in ea intercidantur. Est enim præceps omnium virium lapsus: vt paulò pòst explicabitur. Differt ab Eclysi, Leipothymia, & Leipopsychia: quæ tria sæpius pro eadem re vsurpantur: vt & Latini animi vel animæ deliquium exponunt. Quibusdam tamen Eclysis leue animi deliquium dicitur. Leipothymia verò, vel Leipopsychia, animæ defectio grauior, nondum tamen ad sudorem vsque. is enim est terminus qui Leipopsychiam à Syncope diuidit; quia quæ prætergressæ fuerint, & ad sudorem vsq; peruenerint, Syncopæ dicuntur. Imò verò earũ discrimen pro modo sudoris est. In quibus. n. multus sudor est, plus est periculi quàm quib. exiguus, quòd maior virium lapsus cõtingat. Et maiorem causam requirit Syncope, quàm Leipothymia: quanquam ab eadem oriri possunt. Atque his consentanea est Aëtij sentẽtia, qui animo linquentes subitò in eum affectũ dicit incidere, sensu & motu priuatos, sine sudore. Syncope verò dormientes aut vigilantes corripit cũ sudoribus syncopticis. Quare & alij deliquium animi, facultatis animalis pathema esse inquiunt: Syncopen verò vitalis, quæ aliarum facultatum fundamentum existit. Ac quoniam Syncope præceps omniũ virium lapsus dicta est, (si enim sensim paulatimq; fieret, non vtiq; Syncope diceretur) subitáque ruina nulli morbo acumine & periculo cedens, animaduer-

maduertendum est virium essentiam in spiritu ac temperamento solidarum partium consistere, prouidendumque vt hæc integra seruentur, & naturaliter sese habeant in qualitate vel quantitate, & præsertim solidæ partes, ante omnia quidem omnium principiorum, mox verò & reliquarum partium, cuiusmodi est ventriculi os, propter exquisitum eius sensum. Igitur cùm vires concidunt, spiritus vel solidas partes offendi necesse est Par est enim per Syncopen nihil horum manere integrum, sed cuncta collabi & dissipari, cum spiritu quidē calorem natiuum, (qui nunquam ab inuicem separentur) cum solidarum partium temperamento, tum eum ipsum calorem singulis à natura partibus insitum, tum humidum illud primigenium & radicale, quo vno velut glutino quodam robur earum continetur: neq; potest seruari earū temperamentū, nisi eo calore atq; humido incolumi. Cùm aūt vires quę animal gubernant, tres sint diuersi generis, animalem quidem affici constat, cùm sensus & motus offendātur: neq; tamen eam duntaxat ac primò oblæsam esse dicimus: quinimò omnes offensas esse asserimus: sed primò ac præcipuè vitalem, etsi in generatione Syncopes non semper ea facultas vel cor ipsum primò lædentur, sed quia nonnisi facultate vitali læsa primò aut corde affecto, (quemadmodum & in ipsis febrib.) Syncope fit, quo offenso & reliquas offendi oportet. Seruatur enim caloris Symmetria in singulis partibus etiā principibus ab ipso corde caloris innati fonte, medijs arterijs: aliarum verò partium deperdita temperie, non oportet cordis simul actionem perire: Nisi inquā cor afficiatur, progigni Syncope non potest: cùm ex affectu iecoris, ventriculi, aut alterius partis de repente & affatim vires simul collabi non possint, neque animal perit, nisi cor afficiatur, cùm mors semper ad immodicas cordis intemperies consequatur. His consentaneum est quod alij docent: omnes corporis partes peculiari cordis tēperie actiones suas perficere: vnde si huius vires infringantur, reliquarum etiam sequi iacturā atq; detrimentū actionumq; priuationē. Cor igitur in omni Syncope dicetur pars affecta, vt etiā ex pulsuū imbecillitate, nō ipsa artuū refrigeratione confirmari potest. Affect' aūt ipse symptoma est in genere functionū

Pars affecta.

Quis affectus præter naturam. Causæ.

omnium, ſed præcipuè vitalium, lædunturque vires non modò diminutè, ſed quaſi ablatè, ſaltem quoad ſenſum. Sequitur id ſymptoma, (vt placuit veteribus) aut fortem duntaxat cordis intemperiem nudam, vel cum vitioſa ſeu venenoſo humore: aut eryſipelas, aut inflammationem, aut alium quempiam ipſius tumorem. Sed antequam huiuſmodi affectus augeantur, animal corrumpitur. Non ſic ſi ob ſimplicem cordis intemperiem Syncope excitetur; ſiue æqualis ſit, ſiue inæqualis. Et ſi per proprias partium ſimilarium intemperantias fiat Syncope, ea mortem ſubitam non inducit, quemadmodum ea quę ad inſtrumentales partes pertinet, quæ ſubitò enecare poteſt: priùs tamen præcedentibus quibuſdam ſignis: quale hoc eſt, Qui ſæpè & frequenter exoluuntur, de repente moriuntur. Quoniã verò aliæ plures poſſunt eſſe cauſæ Syncopes, omnes à recentioribus doctiſſimè in duo genera ſunt relatæ. Cùm enim virium eſſentia, vt iam dictũ eſt, conſiſtat in ſpirituum ac ſolidarum partium temperamento, idcirco virium infirmitas ac lapſus ille, non niſi ex illorum ſubſtantiæ reſolutione, aut temperamenti alteratione euenire poteſt, ſi rectum ſui & obliqui index eſt & regula. Spiritus autem vitalis cùm ſit in corde, duplicemque motum habeat, vel intus foras, vel foris intrò: deficit quidem, quia non generatur, vel corrumpitur, vel alteratur, vel non mouetur, vel diſſipatur. Non generatur, vel corrumpitur à proprio conceptaculo, propter fortem cordis intemperiem, vel defectu alimenti. Corrumpitur vel alteratur à venenata qualitate, ſiue interna ſit ab aliquo membro, ſiue externa, vt ab ambiente aere. Non mouetur ad externa, ſed intrò cogitur & ſuffocatur, vel ab affectibus animi vehementioribus, vt ingenti triſtitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, vnde ſæpe Syncope, & interitus: (Huiuſmodi ſubita ad cor præfocans reuocatio, vt in metu potiùs quàm mœſtitia, cauſa eſt vt inter mittendum ſanguinem plærique deficiant, vix vncia detracta.) vel à corpore, vt reſpiratione prohibita, multitudine & craſſitie humorum exiguos meatus obſtruentium: aut ſi non obſtruant, neq; onerent, Leipopſychia oritur. Huc referri poſſunt tumor aliquis præter naturam in corde, vel pericardio, vermes, & ſimilia quæ aliquando

quando obstruunt, aliquando aura venenosa spiritus inficiunt, ineptosque ad actiones obeundas reddunt, & cor vellicant, sicuti & humor è ventriculo, aut hepate, aut cerebro, aut etiam pulmone. Motu è corde affatim & repentè aliquando foras dissipatur & euanescit, eodem modo quo intrò cogitur: vel ab affectu animi vehementiore, vt in gaudio, voluptate, ira, vigilijs, risu: vel causa in corpore contenta, vt insigni vacuatione sanguinis, purgatione per medicamenta, resolutione spirituum concurrentium ad aliquam partem dolore affectam vehementi: aut erosam, vt os ventriculi valde sensibile, suppuratione aut ruptione apostematis, vel tuberculi, siue introrsum facta, vt in ventriculum, siue extrorsum, vt in aqua in hydropicis educenda. Simul enim exhauritur spiritus, & vnà cum ruptione euanescit. Dissipatur & spiritus pluribus motibus, tenuitate, raritate corporum ipsos continentium, tenui humore & calido, sudore nimio. Atque hæc quidem de læsione spirituum, qui si suam affectionem communicent partibus solidis, ita vt incipiant resolui, (quod sudore cognoscitur) erit Syncope periculosa valde. Solidarum verò partium temperamentum multis quoque modis labefactatur, ob defectum alimenti, ob consumtionem proprij humidi, refrigerationem calidi innati in longissimis morbis ex atrophia, in febribus acutis à colliquatione, & similibus. Hinc efficitur duo propria esse & perpetua in Syncope, frigus totius corporis à calore exoluto, & sudorem diaphoreticum siue syncopticum, à dissolutione solidæ substantiæ. Is sudor euenit quia cùm in Sycope magnopere vires oblæsæ sint, confugit calor innatus ad cor tanquam ad arcem, derelinquens partes externas, & quod in partibus præsertim solidis continetur humidum retineri non valet, quinimò tanquam destitutum ab innato calido, facultateque retentrice haudquaquam continere potente, ad externas partes confluit: ac sudor propterea è gignitur non ex excrementia, sed propria etiam solidarum partium humiditate. Tales verò sudores frigidi sunt, quoniam ea quæ solida regit corpora, natura, quæ Hippocrati est calor naturalis, vel omnino extinguitur, vel proxima est extinctioni. Quare quicquid ex eis profluit, frigidum sit oportet.

Sudor diaphoreticus seu syncopticus.

Propterea qui profluunt ſudores in Syncope, neceſſariò frigidi ſunt. In Leipothymia non ſudor, ſed frigus tantùm extremarum partium apparet. Præſens Syncope ſeipſam prodit. In ea pulſus eſt paruus, rarus, formicans, faciei color qualis eſt hominis mortui, fœdus, pallens: vis ſentiendi mouendiq̃ue deficit, extrematum partium frigiditas adeſt: ſudor gelidus circa caput, tempora, ceruicem ac pectus: adhæc accedũt deſperatio, animi angor, & corporis iactatio. Spectra noua malo inuadente viui offeruntur, impotentia ſequitur ad loquendum, & penè reſpirandi facultas intercipitur, palpebræ concidunt. Dignoſces autem an cor proprio affectu laboret, vbi ſcilicet valde intemperatũ eſt, an per conſenſum laboret, ex proprijs aliarum partium affectibus ac ſymptomatis, vt in ſtomachica videre eſt. Ea cùm fiat affecto ore ventriculi, vomitus, nauſea, dolor eius partis, ſeu morſus quidam præcedit. Verùm ſi nullum præceſſerit ſignũ alterius affectæ partis, ſed verbi gratia præceſſerit animi excandeſcentia ſeu alia affectio, cor primariò affectum eſſe iudicabis. Itaque reliquas cauſas partim ex aſtantibus, partim ex te ipſo cognoſces. Quoniam verò quædam obſcuriores ſunt, qualis eſt ſtomachica, cuius paulò antè meminimus, & quæ ab hac vel illa cauſa pendere poteſt, eius ſigna hic adſcribemus, cùm magni momenti eſſe ſoleat. Qui igitur propter humorum crudorum in ventriculo redundantium copiam in Syncopen incidũt, vnà cum oris ventris offenſione, his hypochondria ſunt inflata, & totũ corpus ampliori mole quàm pro naturæ modo eſt. Tum color ijs ad albidius quàm pro naturali habitu eſt mutatus, & aqua inter cutem laborantium magis ſimilis eſt. Nonnullis etiam ad nigrius & liuidius tendens, quos quidem plumbei coloris appellamus. Pulſus præterea obſcuri ſunt, omninóque inęquales. In hac ſyncope humores crudi, craſſi vias ſpirituum ita obſtruunt, vt à motu intercipiãtur, haud ſecus atq; fit in reſpiratione prohibita. Qui verò propter acrium & bilioſorum humorum, redundantiam quæ os ventriculi infeſtet, Syncope corripiuntur, ij aſſiduè in ore ventriculi vellicationes, & mordicationes, anxietates, ac dolores ſentiunt. At demum qui adeò prætenues ſuccos ac ſpiritus habeant, vt citiſſimè exhalent, adeóque

Signa.

Syncope ſtomachica.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169115-p0472-0 DFG

eóque imbecillam habent per vniuersam corporis molem retentricem facultatem, expultricem verò immoderatiùs concitatam, vt propterea in Syncopen incidant, (accedente nimia humorum tenuitate, & corporis raritate) in ijs affectibus celeriter mortifera illa apparet facies, nasus videlicet acutus, oculi concaui, & reliqua, quamuis aluus non multùm excreuerit, neque vigilauerint, aut tristes fuerint, aut fame affecti ægri ipsi. Ex his namque minus malum est, quàm si absque his emaciati fuerint. In quam sententiam dictum est ab alijs, quòd qui Syncope ab humorum tenuitate & spiritus prompta exhalatione capiuntur, facilè ob inediam, vigilias, fluxum ventris, nimiam exercitationem, dolorem, mœrorem, & iram hoc symptomate corripiuntur. Syncope si valida fuerit, medicinæ non est locus. Sed si tantillum vires adhuc constant, aliquando recuperantur, & ad sanitatem recursus est. Vbi cor proprio affectu laborauerit in Syncope, valido existente animę robore, quibusuis animi affectibus ipsa excitetur, æger nunquam succumbet. Si verò propter eius intemperiem sæpe eueniat, (vt in ijs qui subinde sine manifesta causa exoluũtur) perniciosior erit quàm ex cerebri intemperie: quemadmodum hæc periculosior quàm si iecur primò afficiatur: quamuis non ita subitò enecare possint Syncopæ, quæ ex cordis intẽperie oriuntur, quàm illæ quæ instrumẽtales eius morbos sectantur, vt suprà monitum est. Pestifera est Syncope illa quæ extenuato spiritu ac sanguine originem trahit: potissimùm vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis totius corporis, atque expultrix immoderatiùs concitata. Prorsus exitiosa est Syncope, si corpore crudis succis referto generatur. Copia enim eorum succorum vires premuntur, & propter multitudinem, vel crassitiem exigui meatus obstruuntur. Et quoniam generatur etiam redundante flaua bile os ventriculi infestante, sive extenuatis succis, vbi iecur vel ventriculum phlegmone obsederit, exitiosa est etiam. Insanabiles enim existimandi sunt, si viribus iam languentibus aliquod eorum viscus phlegmone infestatur, quoniam nutrire eos assiduè non possumus, nec seruare, si non nutriuntur. Verùm si citra phlegmonem stomachi Syncopę fiant, ventriculi ore affecto primò, ac consentiente corde, curationem magna ex

Prognostica.

parte admittunt. Nam minùs periculosæ sunt, quàm si ex aliquo trium principiorum excitatæ fuerint. Syncope quę sine causis manifestis, sine stomachi vitio, sed & crebra cũ palpitatione cordis accedit, graue periculum minatur, & ipsi cordi penitus inhærescit. Hæc senibus, & conualescentibus, & quacunque de causa vehementer debilitatis familiarior est, soletque mortem si frequenter incidit inferre. In eo morbo præsentis nota exitij est facies liuida, viridis, nigra, vel si naribus acre inditum medicamentum, nullam mouet sternutationem. Adhæc si spiratio, atque arteriarum pulsus abolentur, simulque caput in humeros & pectus dilabatur. Vt cordis palpitatio si Syncopen infert, mortifera est: sic multo magis Syncope, si Cordis palpitationem secuta est. Tandem vt curationem instituamus, ea multiplex est pro varietate causarum. In vno tamen omnes communicant. Quòd si deprehensus Syncope cubans est, omnis solicitudo medentis ad symptoma vertatur. Si verò nedum ea premitur, vtriusque curam habebit, & vt symptoma non incidat, & vt morbus paulatim discutiatur. Præterea siue per essentiam orta fuerit Syncope, siue per consensum, semper ipsi cordi prospiciendum est tanquam visceri principalissimo, saltem quoad vitam, & propterea robur eius semper seruandum est. Iam quod attinet ad particulares Syncopas vel animi defectus, si ex ambientis malitia Syncope fiat, ad optimam temperiem mutetur, atque odoratus fiat. Si ex venenatis facultatibus, aut ex animalium quæ virus reiectant venenis, Alexiteria adhibeantur. Si propter ingentem dolorem Syncope fit, diligenter de causa inquirere oportet. Si enim extrinseca fuerit, facilè eius amotione dolor sedabitur, atque Syncope curabitur. Si à nulla extrinseca occasione dolor concitatus fuerit, internam aliquam esse causam quæ dolorem efficit, existimare oportet. Si enim plenitudo distendens dolorem excitauerit, protinus si vires patiuntur, sanguis mittendus est è vena quæ parti dolenti vicina fuerit. Sin vires imbecillæ sint, reuellendum duntaxat, aut sursum aut deorsum deriuandum, aut vtrinque, aut frictionibus vtendum. Aliorũ similis est hæc sententia: Si calor natiuus oppressus est à multitudine humorum in toto corpore, vena cubiti

Curatio.

cubiti dextri interna secetur. Si ob partium internarum inflammationem sanguis ad interiores partes fluens. Syncopen suffocato spiritu & calore natiuo excitauerit, vena quoque è directo secanda erit, si vires ferant. Suppressæ assuetæ vacuationes (vt hæmorrhoides, menses) si Syncopen excitarint, irritandæ sunt. Vbi verò à vitiosis humoribus dolor oritur, purgare magis oportet. Si vtraque coëant, plethora & cacochymia videlicet, ambobus remedijs vtendum, sanguine priùs misso. Dein si noxius humor in parte infixus & impactus est, curationē per discutientia medicamenta moliri oportet. Sed particularium dolorum curationes ex proprijs capitibus petendæ sunt. Si ex crebris & inordinatis motibus est Syncope, quies iniungatur. Si ex prohibita respiratione, respiratio procuranda, sublata causa, quæ ipsam prohibebat. Si ex animi affectibus, vt ob mœrorem, timorem, & alias perturbationes, statim ab eo affectu sunt reuocandi, & suorum contrariorum admotione curandi. Nec in mœrentibus prætereunda sunt odorifera, & alia quæ intra corpus sumpta, spiritus recreare possunt. Si ex aliqua trium principiorum intemperie fuerit excitata, per contrariam intemperiem, moderatè tamē vindicatam curabitur. Sic si ob vehementis febris malignitatem Syncope generetur, propria curatione febris curanda est: tempore quo Syncope deprehensi cubantes non sunt. Si post purgatorium medicamentum Syncope irruat, Recipe theriacę nouæ ℈ iiij. aut si antiqua sit, addantur gr. ij opij. vini generosi ℥ iij. Sæpius autem accidit, vt ex immodica quapiam vacuatione nedum animi defectus, sed Syncope eueniat: & similiter ferè succurrendum erit cuilibet repentè ingruenti Syncopæ. Propterea curationem eius cùm iam inuaserit, tractabimus, relicta curatione, si ea ægri non laborent. Quoniam pro diuersitate affectuum ad quos consequitur immodica vacuatio, curari eo tempore debet, quemadmodū & reliquę omnes, ex quibusuis causis ortæ fuerint. Cùm igitur Syncope adest, spirituum in partibus externis paucorū resolutio prohibeatur, frigida aut rosacea cum aceto faciei, nec non alijs partibus nudis ab alto insperſa, (vt simul sopiti spiritus excitentur) nisi Syncope sit à causa frigida, vel ab alui fluo- *Agenda in paroxysmo.*

re,quem frigida materias intrò comprimens augeret.Pręsente etiam Syncope nares & os comprimantur, vt inspiratus aër interiora petens & paulò mox egredi volens, calfactus ad cor redeat,ipsumq; calfaciat,spiritusq; reficiat & excitet. Conducit & os ventriculi confricare, & iubere vt euomant, stomachum irritando digitis vel pennæ immissione.Diducendum & os cuneo,vel re simili.Spiritus pręterea intrò conculcati foras auocandi sunt, partes extremas vinciendo, vt linteis modicè asperis fricando, & vellendo nasum,auriculas,pilos.Sternutamentis quoq; vtendum,ac cucurbitulis,coxis,& spatulis appositis.Et quando manus vel pedes illigantur, oportet nexus fieri plures: & frictiones simul circa manus, quando videlicet per inferiores partes fiũt vacuationes:vt si per hæmorrhoidas sanguis profluit: aut ventris, vel mensium adest profluuium. Contrà fit in fluxibus per nares, atq; vomitibus, in quibus crura vincienda sunt, vel fricanda. Trahere enim oportet in vniuersum ad communia membris patientibus in aduersum,aut ad ea in quibus est euacuationis origo.Cucurbitulæ quoque aliæ læues pro partium è quibus vacuatio procedit, aut sanguis erumpit, diuersitate affigendæ. Ideo eas quæ ex vteris fiunt immodicè vacuationes, mammis appositæ sedant. Quæ ex naribus,hepati & spleni secundũ narem patientem: aut si ex vtrisq; naribus sanguis fluat,vtriq; visceri sunt inijciendæ.Cæterùm à frictionibus & vinculis abstinendum, vbi Syncopes causa fuerit immodica ventris inanitio,aut fames,aut immoderata aliqua vacuatio,ne pauc illi spiritus qui supersunt,seque ad cor receperunt, dissoluantur. Sed qui ob hanc causam corripiuntur, hausto vino & odoribus admotis, cæteris remedijs omissis,quieti permittantur. Vinum enim conuenit, crassum quidem,sed aqua dilutum, in Syncope à spirituum resolutione quæ famem & immodicas vacuationes sequi solet. Ab alijs verò causis,tenui sit colore,& substantia. Detur & panis frustulum vino immersum. Non modò autem vino spiritus reficiuntur,sed & ouis sorbilibus, carnibus bonis, & ex his aqua & iure intritis,contusis, concretis, analepticis.Odoribus etiam instaurantur ijdem, qui nõ solùm naribus admouentur, sed & inflando naribus immittuntur.

In causa frigida, moschus, styrax, ladanum conuenit: in calida santali, rosæ, caphura, & alia odorifera. Quę tamen vitanda sunt, si est à præfocatione ex vtero. Tum enim grauiter olentia, naribus quidem iniucunda, sed ori ventriculi grata adhibenda, vt eorum odore matrix subsidat. Suauiter autem olentia vuluæ admouentur. Si ob sudoris multitudinem animi defectus vel Syncope excitetur, neque vino nisi frigido, diluto, neque frictionibus vtendum, vel vinculis, quę omnia sudores mouent magis, neque cogendi sunt ad vomitum, aut vllo modo mouendi. Ea verò quæ astringunt & cutem refrigerant, vsurpanda sunt. Quare aër domus alteratur eis quæ astringendi & frigida qualitate participant, vt myrtorum folijs, rosis, pampinis vitis pauimentum consternatur, frigidiq; ventorum flatus ventilabris inducantur. (Verùm nihil horum, vbi ad ventrem fluxiones fiant, confert. Nam quò cutem magis densaueris, tantò ipsæ magis augentur. Eis balneæ optimæ sunt.) Conducit & immodico sudore diffluentibus partibus, illinire myrtinum, rosaceum, & citoniorũ oleum. Quod ad somnum attinet, si dum vigilat æger, faciei color anhelitusq; magis constent, à somno interpellabitur. Si eadẽ accidẽtia melius se habeant tẽpore somni, vt dormiat, potius consulemus. Ita quomodo vindicandi sunt ægri à quauis præsenti particulari Syncope colligi potest, præsertim ex Galeno, alijsq;. Quoniã verò Syncope ea quæ fit à crudorũ succorũ copia cum oris ventris offensione, vel quæ à biliosis & acribus succis idem os infestantibus, vel quæ à succorũ tenuitate nimia atq; exhalatione oritur, magna solertia ac methodo curantur, earum curationes ad superiora nos quoq; annectemus, & Galenũ tanquam bonũ ducẽ sequemur. Itaq; qui crudis succis grauãtur, ij neq; sanguinis missionẽ, neq; purgationẽ sustinẽt, vtpote quos sine his Syncope subitò adoritur: qui tamen si iustã vacuationẽ ferre possent, statim sanarẽtur. Alimẽta verò eosdẽ opprimunt; quæ tamen offerre necessum est. Igitur tales degãt in aëre non humido & lucido, æstate quidem frigido, hyeme verò calido. Aduersissimus est enim vel nimiùm calẽs, vel nimiùm frigidus. A calido crudi humores diffunduntur per totum

Syncopes à crudis succis orta curatio.

corpus, vt liquati metuendum sit ne defluant in pulmones, & cor: aliquando etiam, ne cerebrum subeant, cùm præstet vt circa iecur & venas primas subsistant. Qua ratione balnea his aduersissima iudicantur. Ab aere verò & domibus frigidis immodicè, succi qui crudi sunt & inepti ad coquendum, obturationes augent hepatis si paruæ fuerint, aut generant si non adfuerint propter crassitiem impacti & detenti. Tempus somno & frictioni impartiendum. Sed somnus vberior crudos succos digeri non sinit, & viscera grauiora reddit, & si quis alius affectus moderatum somnum & vigilias desiderat, hic maximè postulat, quia somnus cõcoquit, vigiliæ digerunt. Pari ratione motus vitandus est. Cæterùm nec cibum, nec sorbitionem, vel aquam exhibeas, vel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsa tribus primis diebus vtantur, in qua hyssopum decoctum sit. (Nam paucissimo egent cibo) siquidem crudi humores coctione alere possunt. Imò vsque ad septimum, nisi imbecillioribus manè & vesperi aquam mulsam præbebimus. In meridie verò ius pulli elixi cum carnibus, aut micam panis in eodem madefactam, aut vitellos ouorum tremulos cum melle. Et si non febricitent, ijs aquosum vinum erit idoneum, statim ab initio, & in eo diluto, panem quoque exhibere conuenit: modò in aliquo viscere phlegmone non adsit. Quæ in potu præbentur, æstate parum frigida sint, vt aqua mulsa, acetum mulsum; hyeme verò calida. Præstat quoque in hunc vsum syrupus de radicibus cum aceto, & aqua mulsa ex decocto calamenti & hyssopi. Et si non solùm crudi succi sint, sed eò etiam corruptionis peruenerint, vt concoqui ad perfectionem nequeant, ægro mulsam fastidiente, vel aluo fluente, ad ptisanæ cremorem est transeundum, & sicubi crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymel pro mulsa exhibere assiduè debebis. Quod ad medicamentorum rationem attinet, quoniam præsidia vacuantia non ferunt præter eam vacuationem quæ ex frictione paratur, incipere oportet frictionem à cruribus cum linteis paulo asperioribus supernè deorsum; dein ad brachia perueniemus, incipientes ab humeris ad manus. Ita succi calefient, ac digerentur, & hæ frictiones conferent ad somnum alliciendum. Verùm ne incidant

incidant in lassitudinem ex multa frictione veluti contusa carne, membra prædicta vngantur oleo relaxante, vt antiquo, vel anethino. Postea oleum detergere oportet, atq; ad spinam dorsi transire, hancq; totam fricare primũ sicca frictione, postea oleo, ac rursus ad crura te conferre: ab his ad brachia: exinde denuò ad spinam: ita totum agendo diem. Interim si aluus non deijcit, & pulsus constet, audacter per inferius aliquid infundetur. Cataplasmatis autem & perfusionibus minimè vtendum, priusquam magna ex parte vacuata, partim concocta sint superuacua. Si enim assiduè his præcordia vexentur, phlegmone facilè in eiusmodi affectibus excitatur. Licet verò eis vti tempore quo diximus, non tamen solis relaxantibus vti, sed eos plurimùm fouere oportet oleo, in quo absinthium bullierit, vel emplastrum adhibere ventriculo quod fit ex palmulis, vino, farina hordei, croco, mastiche, & aloë, ac madefacere mastichino, seu nardino. Postea hyssopum in melicrato decoctum, diatrium pipereon, diospoliticon exhibere non inconuenit. Et ad eundem modum medicamenta quæcunque offerenda sunt attenuantia, calefacientia, saltem quæ sumere febricitans possit, si febricitauerit. Clysteribus quoque vti licet ex decocto mercurialis, melle ac sale, aut ex aqua mulsa cum hiera, aut decocto calaminthæ, pulegij, & similium. Quòd si febricitent, nimiùm calida medicamenta vitanda sunt, & si qui laborant, senes sint, post quamque cibationem vinum aquosum præbendum erit. Qui sanè ex eiusmodi succis laborant, hos quotidie accessiones exercent, præcipueque ad vesperam & noctu, non manè, nec vsque ad meridiem. Si verò syncope eos premit, & loca prędicta phlegmone vacent, panem exhibebis non multo vino fuluo madefactum, quod celerem in corpus distributionem adiuuet, statimque ad frictiones venies, quas pro tradito iam modo administrabis. Vt si æstas est, & regio naturaliter calens & æstuans, aut status cœli vehementer calidus, cum frigida vinum dabis. Si nihil eiusmodi sit, cum calida. Nec parum cõducit exhibere aliquid diamoschi, aut confectionis diambræ. Odoramentis quoque animum recreare: ℞. aquæ rosarũ, florum citrangulorum ana ℥ij. corticis citri, ligni aloës ana ʒ ß. moschi,

ambræ ana gr.iij.aceti ℥j.Neq; cor negligendum:sed epithematibus,vel sacculis roborandum est. Epithema erit: ℞.aquæ melissæ,florum citrangulorũ, & rorismarini ana ℔.ß.ligni aloës,corticis citri ana ʒij. cinnamomi, caryophyllorum ana ʒ ß.croci gr.v.ossis de corde cerui ñ.ij.moschi,ambræ ana gr.iij.vini fului odoriferi ℥ iij. fiat epithema. Sacculus autem parabitur ex florib. melissæ,rorismarini,citrangulorum, sampsuchi cum cinnamomo, croco, caryophyllis,cortice citri,rosis siccis,& similibus.Hæc non tantùm in accessione,sed citra ipsam fieri possunt.Nam odores quanuis nec sanguinem nec carnẽ reficiant, subitò tamen reparant vires recreato animali ac vitali spiritu, & sæpe imminens accessio Syncopes bonis odoribus naribus admotis propulsata est. Fotus ventri & hypochondrijs est admouendus ex oleo absinthij,laurino, anethino cum lana calente.Manus vino odorato abluantur, atq; facies. Et si quid in ore ventriculi supernatauerit, & nauseam induxerit,tepido aceto mulso bibito,&penna oleo intincta ori immissa vomatur: idq; extra accessionem procurandum. Si verò tenuis,biliosus,& acris humor vẽtriculi os infestat, sit vt compatiente corde,spiritus vitalis dissoluatur, & extenuatus transpiret,& hominem Syncope arripiat. Tempore ergo quo eà non premitur, contraria curatio adhibenda est.In aere ad frigidum vergente collocentur ægri, in quo aspergantur rosæ,myrtus,cannarum folia,& violæ. Summa enim cutis densanda est. Somno longiori vtantur, ac cibis & potionibus frigidioribus: vt cremore ptisanæ, paneq; modico ex vino aquoso frigido diluto, mica panis in succo mali punici, aut succo mali cotonei, aut in iure gallinæ elixæ cum malis cotoneis. Aut vitelli ouorum sorbiles cum succo arancij,aut mali punici, alæ quoq; auium conuenient.Ab aqua mulsa abstinebunt. Procedente malo,sed non adeò affligente, nec inflammato viscere quopiam,carnes pullorum & nouellarum perdicum eis offerentur,& poma odorata,aut malum cotoneũ post cibum, aut diacitonitem quod vocant. Bibant vinum albũ, aquosum,modicè austerum.In summa sint alimenta succi constantis, & quæ non facilè in ambientem aerem transpirent: sed astringendi quoque vires habeant. Procuretur quies,

Syncopes à bile os ventriculi infestante curatio.

quies, & animi tranquillitas. Hæc itaque extra accessionem facienda, & confestim tentandum, vt bilis quæ sua mordicatione os ventriculi infestat, expurgetur per vomitum immissis digitis aut penna, & aquæ calidæ potu, vel tantillum aceti aquæ calidæ imponas, aut syrupi acetosi simplicis. Quòd si neque sic euomere possunt, aluus ciendа est ex tamarindorum decocto aut manna, adijciendo rhabarbarum. Neque hi immodicè semel sunt vacuandi, cùm exquisitas vacuationes non ferant. Ad hunc etiam vsum clysteribus leuibus vti cõuenit, quales ex aqua hordei, & oleo violaceo, & saccharo inijciuntur. Præterea cutis constipanda inunctione corporis ex oleo rosaceo, aut myrtino. Et vacuata iam parte materiæ roborare oportet ventriculum oxysacchara simplici, syrupo granatorum acidorum, aut ex acetositate citri, è pomis, de corticibus citri, & à purgatione decoctum absinthij conuenit. Si in Syncopen inciderint ægri, his exhibendus est frigidus potus. Sit tamen tunc vinum quod diductionem in corpus promoueat, & natura calidum sit. Id verò seruandum omnibus quos Syncope malè habet. distribui namque cibum per corpus, non manere volumus. Propterea ex vinis deligenda, quæ & flaua sint colore, & substantia tenui, & ætate vetera, ac boni odoris: & commodissima sunt, quæ cùm naturaliter austera sint, sensilem iam astringendi vim propter vetustatem non exhibent: calorem tamen admodum habent, & ea tum coctionem, tum digestionem in corpus promouent, & succi vitium mitigant, & corporis habitum excalfaciunt, & stomachũ firmant. Si præsens medicus fuerit accessioni, frigidam insperget faciei, vel rosaceam Rosas inspersas naribus admouebit, ius pulli instillabit in os cũ succo vuæ acerbæ vel citonij, aut offam panis in vino valentiore; nares astringendæ, & partes extremæ. Eisdem exhibendum diamargariton frigidi exiguum quidpiam cum pauco vino, vel syrupo de pomis, odoramentumque naribus adhibendum. Recipe aquæ rosarum, myrtillorum, santalorum, corallorum rubrorũ ana ʒj ß. ambræ, moschi grana ij. aceti ℥j. Cordi item epithemata imponentur, quale est: ℞. aquæ rosarũ, acetosæ, melissæ, ana ℥ij. santalorum,

corallorum ana ʒ ß. corticis citri, ligni aloes ana ʒ ß. croci grana iij. moschi gr. ij. os de corde cerui ñ. j. vini fului odoriferi vncias tres. Saccelli etiam serici componentur ex floribus violarum, borraginis, nymphææ, melissæ, ac rosarũ, quibus parum croci, ligni aloes, corticis citri addas: nec nõ santalorum & corallorum rubrorum ana. At temperabitur acredo humorũ syrupo de acetosa, aut succo vuæ acerbæ, aut de succo limonum. Nam attemperati humores faciliùs coquuntur, & natura ipsa attemperatis roboratur ad coctionem moliendã. Qui verò ob prætenues succos opprimuntur, sic vt exhalent ocyssimè, diuersa ratione curandi sunt, quàm illi qui à crudorum succorum copia laborãt. Hos enim paulatim & assiduè vacuare, illos verò paulatim & assiduè nutrire oportet. Sic etiam eorum summa densare, vt priorũ rarefacere. Cibi his dandi sunt, qui non promptè diffluant, non aqua mulsa, non ptisanæ cremor, sed panis & sorbitio ex alica, fructus austeri, & qui nõ facilè corrumpantur, tum ipsi per se, tum cum pane, velut cydonia mala punica, acida & austera, cerasa, & pyra quædã. Dantur etiam aliquando oua, præcipueq; & horum vitelli. Album enim ægrè coquitur. Præterea gallinaceorum lacte nutritorum testes, itemq; suillum cerebrum probè assum, vel in albo iure elixũ, porro & anetho iniectis. Vinũ quoq; aquosum his necessarium est. Deniq; omni ratione agendum, vt & succorum materiam crassiorẽ reddas, & cutem denses, & exhalationem inhibeas. Quare frigidum his aerem imperabis, astringentem, rosis, myrti folijs in domo substratis. Vngendi sunt & astringentibus, vnguento omphacino, rosato, melino, myrtino: & miscere oportet aliquid ex refrigerantibus, veluti portulacæ, solani, aut vuæ acerbæ succum. Præcordijs verò cataplasma admouebitur ex palmulis, rosis, œnanthæ, acacia, hypocistide, & alumine. Capiti autem atq; fronti omphacinum vel rosaceũ imponetur per se, aut cum gummi. Quòd si omnia ex sententia responderint, etiam carnei aliquid nutrimenti post alia dabis: potissimùm post quartum diem. Ex dictis constat, qualiter omni syncope succurrendũ sit. Paucæ enim sunt, vel fortasse neq; vlla, quæ non ex his percuretur, modò curari possit. A Galeno, Aetio, & alijs similes curationes abundè

Curatio syncopes ex tenuibus hominibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169115-p0482-6 DFG

undè pertractantur. Quas licet recentiores quoque elucidarint, nos tamen eas tanquam valde vtiles huc afferre operæpretium duximus.

De lactis inopia, seu defectu.
CAP. *XIII.*

THORACIS & cordis affectus proximè exposuimus. Iam verò non abs re erit aliquid de affectibus mammarum, quæ vtiq; thoraci incumbunt, & cor ipsum contegunt, addere. Mammæ igitur copiosissimum benigni alimenti superfluum colligunt; lac videlicet, cuius causa extiterunt. Eo verò loco eas constituere conueniebat, vbi facilimè simul & citissimè elaborati lactis copia poterat cõsistere. Cùm enim tenera adhuc sunt atq; imbecilla recens nata animalia, edulia solida ab ijs nondum possunt cõfici, ob eamq; causam perinde ac si adhuc in vtero gererentur, natura ipsis ex matre alimentum comparauit pro conceptus nutritione. In mammis aũt existunt adenes quidam, vim habentes id quod ad eos influit alimentum alterandi, ac sibi ipsis assimilandi, & quoniam exangues & albi sunt, proprium efficiunt humorem talem qualis est lac, & plus talis efficiunt, quanto plus alimenti ad ipsos defertur. Recentiorum tamen quidam à venis immutari credunt, non ab adenibus. Humor igitur hic qui veluti superfluitas est alimenti ipsarum mamillarum generantium ipsum, quo conceptus ex eo nutriatur, cùm vel exiguus est, vel omnino deficit, lactis defectus appellatur. In qua affectione mammæ afficiuntur, cùm principem vsum qui gratia generationis lactis existit, non præstent, & eo potissimùm tẽpore quo debent, à partu videlicet, & lactationis tempore. Et notus est cõsensus mammarum cum matricibus. Nam dum in matricibus fœtus augetur, venæ omnes ex vtrisq; alimentum affundunt. Quando verò natus est, alimentũ totum mammis affluit: quò fit vt lac germanũ menstruo sit, & eodem tempore bellè procedere nequeat menstruũ, & fœmina lactare. Vnde quibus hoc largè suppetit, ijs planè menses supprimuntur. Ergo si lac deficiat, mamillas affectas esse certũ est, siue per se, siue per consensum. Earum verò affectus symptoma est in genere retentorum immo-

Mammarũ vsus.

Partes affectæ.

Affectus quis.

dicè,& præter naturam. Nam commune est omnibus animalis partibus quæ aptæ sunt humores aliquos generare vtiles alijs partibus,aut ad generis propagationem, aut ad cõceptus nutritionem, esse velut quandam superfluitatem humoris ipsum generantis,quæ cùm deficit,ad excrementa immodicè retenta refertur. Vt autem ad causas defectus illius veniamus,quoniam lactis materia sanguis est in venis contentus quantitate aut qualitate contemperatus,tum ab alijs partibus transmissus, tum etiam à mammis ipsis attractus, propterea contemplari sanguinẽ opus est. Lac enim scripserunt quidam sanguinem dealbatum esse,quod naturæ prouidentia factũ est, ne pueros sanguine nutriri crudelius videretur. Et tot sunt in lacte partes, quot in sanguine. Videndũ igitur in primis nunquid sanguis sit paucior,an deterior. Paucior enim esse potest,quòd in toto corpore exiguus sit,vel quòd paucior à mamillis attrahitur,etiam si paucior in toto non fuerit. Lac etiam deficit mammarum affectarum ratione,vel quòd in fans imbecillis non probè sugit. Ad validam enim suctionem attractio consequitur. Alij alias addunt causas, aiuntq; sanguinis defectum esse, aut propter corporis totius atrophiã, quam mulier ob picam aut alimentorum fastidium contraxit tempore imprægnationis, vel quòd post partũ tanta sanguinis copia fluxit, vt retractus sit ad partem inferiorem,atque venæ plus iusto inanitæ sunt. Quæ omnia suis notis interstinguuntur. Si enim paucus est sanguis toto corpore,id nosces ex totius temperamento & habitu sicciori,ex sanguinis immodicis vacuationibus, vehementibus exercitijs,laboribus,vigilijs,fame,mœrore, solicitudine,arida æstuantiqué febre,vel id genus alijs, quæ corpus deficcauerint ac calefecerint. Hæc enim non tantùm sanguinem minuunt,sed & qualitatem eius vitiant,quanuis & immodicè refrigerãtia idem efficiant: vnde lac ipsum deficere contingit. Quòd si multus sit sanguis, nec tamen ad mammas perueniat, id fit vel propter venarũ angustiam, aut obstructionem,aut sanguinis crassitiem: quę artificiosa coniectura internosci possunt. Sanguis autem vitiosus, hoc est biliosus,vel pituitosus,vel melancholicus, lactis colore,tum substantia,tum sapore distinguitur: præsertim si non

Causa.

Signa.

non omnino defecerit: non posthabita cognitione temperamenti, habitúsq; totius corporis, & ætatis. Nam si biliosus fuerit, præter eius tenuitatem & flauitiem, amari saporis lac erit: aderit temperamentum biliosum, habitus gracilis, ac ætas florens. Si pituitosior sanguis, lac erit crassioris substantiæ, albi aut palidi coloris, acidi saporis & odoris, lactantis habitus & tẽperies pituitosi: vt & lac erit si vehemẽtioris spissitudinis ac opacitatis, obscuriorísq; ac quodammodo nigri coloris, & reliqua adsint melancholica, melancholicum sanguinem adesse testabuntur. Si vitio mammarum fiat lactis defectus, macilentas & graciles mammas inspicies: quæ ob propriã intemperiem non tantum sanguinis attrahunt, quantum pro lactis generatione opus est. Si nihil horum adsit quæ dicta sunt, ad imbecillitatem infantis sugentis occasio referenda est. Hic affectus infanti magis quam mulieri grauis est: non tamen fit sine aliquo affectu mulieris præter naturam. Vbi imminuitur, aut omnino extinguitur, aut cortũpitur, aut spissatur, aut alteratur lac, præstat alterius nutricis lac prębere. Si id non permittat res aliqua instans, victu nutrix curanda, vt ne infans in morbum incidat, ac ipsa sibi meliorem vindicet sanitatem. Quod ad curationem attinet, præsertim si est à defectu sanguinis & paucitate, alimẽta sint boni succi, humida & calida, ceu ipsum lac: mediã habeãt intemperiem pituitæ ac sanguinis: propiùs tamen accedit lac ad sanguinem, quàm ad pituitam. Quare nutriantur pane puro, iusculis, succo carnis, vitellis ouorum, caseo, lacte ouillo vel caprino, aut eodem elixo cum vitellis ouorum, & saccharo. Vtantur carne gallinarum, pullorum gallinaceorum, columbarum iuuenum, perdicum, phasianorum, hœdorũ, vitulorum, castratorum, piscibus saxatilibus, & squamatis. Vtantur & fructibus, vuis passis, amygdalis dulcibus. Fit pulmentum ex oryza priùs in aqua, deinde in lacte elixa, & amylum paratur cum lacte & melle, & præstantissimus est qui cibus albus dicitur, ex gallinarum pectoribus elixis cum farina oryzæ, lacte, & saccharo confectus. Placentæ quoque formantur ex sesamo cum melle. Amygdalatum etiam optimum est. Valent & pistacia, nuclei pinei, eruca, pastinaca assa in cineribus, Zingiber,

Prognostica.

Curatio.

cinnamomum in pauca quantitate ſunt vtilia. Potus ſit vinum aquoſum, aut flauum, tenue, moderatè dilutum, aut vinum dulce tribuatur. Caueant exercitiũ immoderatum: Imò parum ſe exerceant, bene alantur, & ſic ſatis dormiãt. Caueant iram, mœrorem, & omnia quæ ſanguinem pauciorem efficere poſſunt. Supernarum tamen partiũ exercitijs, pectoris vberumq; frictione moderata vti poſſunt, ac fomentis per ſpongias. Conuenit & lac fugere validiùs. A totius corporis frictione abſtineant, & venere. Rarò autẽ medicamentis vtendum eſt, licet lacti generando aliquid proficere poſſint. Vt ſi deterior ſanguis eſt vtpote bilioſus, primùm purgationem deſiderat, mox victũ quem dicebamus. Sit porrò medicamentum leuiter purgans bilem, nõ exiccans: vt manna, caſſia, ſyrupus ex infuſione roſarum, violatũ. Pari ratione nigra bilis expurgetur catholico dato medicamento. Et ſi pituitoſus fuerit, requirit medicamenta calfacientia primo aut ſecundo ordine: non tamen deſiccantia. Nam hæc in ſanguinem vertunt, non ipſius ſanguinis humorem depaſcunt, aut ipſum craſſiorem ſimulq; pauciorem efficiunt: vt ea quæ deſiccant. Et inter potiora ſunt, quę non tantum ſunt medicamenta, ſed & nutrimenta, vt eruca, fœniculus, anethum, cum etiamnum virentes & humidæ fuerint: nam ſiccæ plus calefaciunt, & deſiccãt. Conferunt & hunc in vſum ſmyrnion, apion, ſion, & poliũ: fœniculi radix, & ſemen ptiſanæ incocta, lini ſemen cum melle, ſi delingitur. Lapis galactites pro amuleto alligatus, aqua diſſolutus, ac potatus, inteſtina terræ ſi quinq; aut ſex teras, ac cum duob. aut tribus gallinarum ouis recentibus decoquas, pauco fœniculo aut anetho addito, ex his ferculum paretur: aut ea priùs vino albo abluta & in puluerem redacta ſint, & cum vino dulci ʒ.vna vel duæ eius pulueris exhibeantur. Si lac fuerit extinctum, porrũ tritum bibendum detur: mulier lauetur, & braſſicam edat, & folia cytiſi ſimul coquat, & ſuccũ ſorbeat. Viticis fructus, & betæ ſuccus potatus, multum lac facit, & naſturtiũ in vino potum commodum eſt. Hæc & alia plura veteribus commendata ſunt. Poſteri illis aſſenſi ſunt, nec ferè diſſimilia præſcripſerunt. Si ſanguis propter craſſitiẽ non fluat, inquiunt, leuiter incidentibus & attenuantibus, neq; multùm exiccantibus vtendum,

Medicamẽtorum ratio.

vtendum, vt dictum est. Et iuxta illos cæparum vsus nõ interdicendus est siue in iusculis, siue sub cineribus. Sed fugiendi sunt pulueres ex fœniculo sicco, & alijs resiccantibus, vt corallo. Si sanguis non fluat ob venarũ angustiam, optimum est mammas aqua tepida fouere, vel sinapismũ debilem, vel dropacem supra pectus apponere, vt sanguinẽ ad partem trahant. Sed diutiùs non adhæreat, ne digerat, aut inflammationem in ea parte pariat. Fit autem ex libra vna ficuum maceratarum in aqua, & vncia seminis sinapis tenuissimè triti. Cucurbitulæ quoque cum pauco igne apponantur, paulò infra clauiculas ad sanguinis attractionem. Si menses nimis fluant, retinendi sunt priùs. *Dropax.*

De lactis redundantia. CAP. XIIII.

LAC redundat in vberibus, quando ad ea plus alimenti defertur, quàm par sit, adeò vt eius plenitudine mulier grauetur ac doleat: nec eius copiam ferre queat. σπαργάνωσιν Græci vocant: vnde mammæ fiunt turgentes, suiq; lactis impatientes. Euenit sæpius puerperis, idque primis diebus à partu, quia multus sanguis mittitur, & non absumitur, neq; sugitur. Postquam enim lac multum receptum est (prohiberi autẽ potest ne tanta copia recipiatur, si ante partum repellentia apponantur) non potest repelli, sed per mammas vacuari debet, aut suctu, aut alia ratione. Euenit & reliquis lactantibus, idq; non rarò. Partes igitur affectæ mamillæ sunt. Affectus verò ipse causa morbi est, in quantitate videlicet: & propriè in excessu, qui ex ipsa lactis copia prouenit: (velut alia quæuis plenitudo morbi causa est) cuius iterum causa est boni sanguinis multitudo. Sin verò lac multum è mammis effluat, non ampliùs causa morbi: sed symptoma erit sub genere excretorum immodicè cõtentum. De qua lactis abundantia hîc nõ loquimur. Quia non metus est, ne quis inde affectus præter naturam contrahatur. Porrò causa potissima cur plurimum lac colligatur, est oppletio venarũ communium, quæ à mammis ab vtero pertingunt. Accidit & mulieribus vtero gerentibus ob conceptus imbecillitatem interdum. Quandoq; verò cùm neq; grauida est mulier, neq; peperit, sed ei menstrua defecerunt. Visu & tactu malum ipsum deprehenditur. *σπαργάνωσις.* *Affectæ partes.* *Affectus ratio.* *Causa.*

Prognostica.

Cæterum cùm lac plurimũ in mammis abundat, periculum imminet ne concrescat, aut inflammationẽ in mammis efficiat: & si vitiatum fuerit lac, mammarum vasa vlcerat, scabies, panos, & papularũ eruptiones producit. Si igitur id imminuere voles (vt iam ad curationem veniamus) tenui diæta vtantur, vt oleribus & fructibus, & aquam non vinum bibant, frictiones, vincula, ac infernarum partium exercitia præcipienda sunt. Quare crura fricentur. Manibus ac brachijs nullum aggrediantur laborẽ, & vbi mammæ dolent, neq; à mulieribus, neq; ab infantib. exugi debent: quia suctione plus attrahitur: quanquam ab adultis ac peritis mulieribus, quòd puerperarum mammæ leuiter exugantur, nõ improbamus, vbi non immodicè doleant, seu inflammatæ sint. Hac enim tenui exuctione effertur quod in mamillis continetur, neq; plus ad eas trahitur. In vniuersum prohibenda sunt, quæ multum sanguinẽ procreare solent, & proinde nihil præstantius, quàm secare venam poplitis seu tali: & si altera mamillarum magis oblæsa sit, è directo vena secanda, in puerperis præsertim, in quibus menses detinentur. Aut si non propter menses retentos lac cõcrescat, sed quia in toto corpore sanguinis est copia, media quæ in cubito est vena, aut interna incidatur: deinde tali quoq; vena tundatur. A sanguinis missione repellentibus vtendũ, sed quæ modicè repellunt, conueniũt: ne scilicet in pulmonẽ quod fluxit, trudatur. Quapropter superponatur spongia posca madefacta & expressa, quæ fascijs accõmodetur: vel palmulæ cum posca tritæ. Deinde vincire eas ac modicè constringere oportet. Vel ouo toto cum rosaceo vtendũ erit, ac linteũ aceto imbutum imponendum: vel lentes contusæ admoueãtur. Aut si etiã libet, myrti decocto perfundantur. Quòd si lac restinguere omnino malueris, alumen & psylliũ cum aceto, ac coriandri succo, & rosaceo adhibeatur. Cuminũ cum aceto illitũ lac imminuit. Erysimon quoq; prodest cũ aqua & melle illitũ. Ricini insuper folia trita, & apiũ virens illitum, Pyrites lapis tritus cum rosaceo & aceto impositus. Quòd si his nec imminuatur, nec restinguatur lac, non ampliùs eis quę repellunt ac reprimunt, sed ijs quæ exiccant ac digerũt, tanquam tutioribus medicamentis vtendũ: modò priùs adhibeantur

Victuratio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169115-p0488-1 DFG

beantur diuersiones per vincula, cucurbitulas, frictiones, seu venæ tali sectionē. In eam rem faciunt digerentia seu siccantia ex milio, sale, farina fabarū, & chamæmeli: atq; sic non vertitur in grumos lac, neq; inflammationē parit. Mammæ quoq; fouentur decocto fœniculi, apij, petroselini, maluarum, & althææ cum radicibus, sumendo singulorum p.j. & addendo foliorum lauri & florū chamæmeli ana m̄. ß. ac post fotum illinire oportet oleo rosaceo, eoq; tempore mammæ leuiter exugantur. Dein, ℞. resinæ terebinthinę quantum satis: abluatur sępe vino albo & aqua rosata, cui duo aut tria oua tota, & croci scriptulum vnum adijciantur, & in emplastri formam, nempe cæra addita, redigantur: quod super linteo lino, eoq; crasso extensum, perforato tamen in duabus partibus, quibus mamillarum papillæ promineant, imponatur, ac fascijs circumligetur, moderateq; constringatur. Aliud: Recipe farinæ fabarū, farinæ lentium ana vnciam vnam, succi plantaginis ℥ iij. rosacei ℥ ij. aceti ℥ j. Aliud: ℞. Succi plantaginis, succi menthæ ana ℥ j ß. farinæ hordei ℥ j. aceti ℥ ß. Lac trahunt ampullæ in aqua calfactæ papillis appensæ. Si hæc nō proficiant, medicamentis pituitā purgantibus corpus vacuare oportet: & tenui victu, tenuante, & incidente copiam sanguinis absumere. De his conuenit inter veteres & posteritatem.

De lacte in speciem casei, vel in grumos conuerso.
CAPVT XV.

SÆPE etiam lac à partu in casei speciem coagulatur, seu in grumos concrescit. Quę duo tamē distinguunt quidam ex recentioribus, & saltē in causis generationis separant, vt mox dicetur. Hoc malum θρόμβωσις, siue grumescentia lactis appellatur. Et σταγγαλίδες globuli sunt, & concretiones lactis, quales accidunt post partum, si lactis prouentus nulla ex parte decedat. Vterq; affectus morbus in numero seu magnitudine dici potest, cùm in quantitate atq; in excessu eiusdē comprehendatur. Ambo verò affectus ex lactis copia, & sparganosi, vel eiusdem crassitie tanquam ex materia originem ducunt. Ac vtrum eorū causa sit, promptè dignoscitur. Nam si ob lactis copiam est,

θρόμβωσις. σταγγαλίδες. *Affectus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169115-p0489-9 DFG

Causa. contingit quòd diutiùs coaceruatum in mammis detinetur, nec exugitur. Si crassities est in causa, crassitiei indicia adsunt. Rursum siue multum, siue crassum fuerit, in formam casei redigitur, aut in grumos cõuertitur, vt dictum est, idq; ab intemperie calida vel frigida mamillarum, vt communis est sententia. Calida quidem, dum à nimio calore id quod erat tenuiũ partiũ in lacte digeritur ac discutitur, & reliqua pars manet crassior & caseosa: frigida verò, à qua vniuersa eius substantia astringitur & cogitur. Sed alij tantùm in grumos concrescere autumant à frigiditate, quemadmodũ extrauasato sanguini accidit. Veluti nec instar casei coagulatur, nisi à caliditate, vt affirmant. Lac enim coagulari nequit, nisi à valido calore serosum ac tenue seorsum fusum segregetur: quod verò crassum est in sese coëat, quod absq; valido calore non fit. Cuiusmodi naturæ sunt etiam, quæ vrinam cient: nempe excalfactoria, exiccatoria, tum etiam secretoria, & coarctatoria. Hæc ex Galeni placitis doctè à iunioribus quibusdam collecta sunt. A quib. dissentiunt nihilominus alij, qui à frigore concrescere posse lac negant, quoniam neq; mammę in viuente animali adeò magnam ferunt frigiditatem, vt concrescat lac in ipsis: neq; solet lac frigiditate concrescere, sed potiùs serescere & liquari. Quod ad notas pertinet, si quando à calore cõcrescit lac, tactu deprehenditur, & febris magna ex parte accedit, & frigidis iuuantur. Si à crassitudine concrescat, necesse est accedere calorem, vt videtur. Eum verò agnoscemus, vt relatum est. Aut diutiùs lac oportet retineri: quod fœmina ipsa refert. Atq; si retentum est, non opportunè exuctũ fuit. Lactis frigiditas ac lentor, ex natura fœminę deprehendetur, & frigore mammarum, & lactis post eductionem substantia, quæ viscida & tenax erit, & pituitã colore referet. Huiusmodi lac facilè retinetur in meatibus angustis. Nisi quamprimum lac grumescens seu caseatum curetur, inflammationem pariet, aut mammarum exulcerationem, præsertim si vitiatum lac fuerit. Si ab immodico calore sit caseatum, victus ad frigidum inclinet: sitq; ex lactucis, aut per se, aut cũ carnibus elixis; & potus aqua hordei. Ex medicamẽtis priuatim conferunt furfures in aceto cocti cum rutę decocto supra mammas impositi. Idem facit mentha

Signa.

Prognostica.

Victus ratio.

Medicamẽta.

cit mentha polentæ admiſta: iuglans cum ruta & melle. Cuminum priuatim, vel cum polenta, capita papaueris cocta cum melle, crocus cum lacte, muriẹ fomentum, apium viride impoſitum, folia ſolani ſeu halicacabi cum braſſicæ folijs pauca myrrha & croco adiectis, & exiguo aceto. Similiter epithemata fiant ex fœnugræci, ſeminis lini & althææ decocto, cum oleo violato, & aceto pauco. Mammis etiam imponatur ſuccus ſolani cum aceto, aut ſuccus portulacẹ, aut farina hordei cum aceto mulſo, aut eadem cum poſca. Prẹterea ſuccus herbẹ quem appellant morſum gallinæ, cum roſaceo linteis exceptus. At vbi in grumos lac conuerſum fuerit, aut ob craſſitiem non defluat, mammas implebit, & retentum concreſcet, tenui parte effluxa: tunc his conuenit victus attenuans, vt ius carnis elixẹ cum ciceribus, & anetho: & potus vini albi aquoſi. Totum corpus poterit purgari electario diaphœnicon. Similibus etiam medicamentis vtendum, quæ ſuperiori capite relata ſunt, vt lentibus in aqua marina vel muria decoctis: aut etiam cumini decocto cum modico croco. Similiter ſuperfuſio calentis olei dulcis, aut fotus aquæ calidæ, vel decoctum fœnugræci, althææ, ſeu apij. Coagulum leporinum, ſi cum pauco aceto & butyro illinatur, prodeſt. Mammis etiam apponatur emplaſtrum ex farina ſeminis lini, fœnugræci, cum oleo chamæmelino & anethino: aut fiat fomentum ex decocto fœnugræci, ſeminis lini, ſeminis apij, cũ ſpongia iuxta recentiores. Duritias mammarum ex lactis copia, atque lactis ab ea cauſa concretione, & mammarum dolores curat fomentum ex decocto, quod Recipit aquæ ℔.iiij. ſeminis lini, fœnugræci ana ℥ j ß. chamæmeli m̃.j. bulliant ad conſumptionem quartæ partis. Colaturæ adde ſepi hircini liquefacti, & axungiæ gallinæ ana ℥ ij. Ab alijs hæc laudantur. ♃. ſucci apij quart.j. oxymelitis ℥ ij. farinæ cicerum rubrorum & oryzæ ana q.ſ. fiat cataplaſma. Si his medicamentis non diſſoluitur lac, vel glandulæ indurantur, & ſuppurantur, tunc ♃. radicum althææ & liliorũ ana quart.j. ficus paria xx. decoquantur in aqua, donec mollescant: adde axungiæ porci non ſalitæ, aut butyri recentis quantum ſufficit: coque. cocta contundantur, & adiecto oleo communi fiat cataplaſma.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169115-p0491-9 DFG